



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Sexta. De Gustu, & gustabili.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

adhuc aliqui foetores vel odores illa corpora penetrarent ad eum ferè modum quòd sonus.

## VIII.

Odores aliquando realiter aliquando intentionaliter perueniunt.

Dico 4. Odores aliquando realiter, aliquando intentionaliter ad odoratus organum deferuntur. Hæc non habet difficultatem &

Probatur prima pars: Quia ipsa qualitas odorifera ad organum olfactus pertingit, ut dum applicantur flores, aromata &c. naso, quare etiam quædam nocent, quædam verò profunt & conducunt cerebro, quòd signum est odores non modo intentionaliter, sed realiter pertigisse.

Probatur secunda pars: Quia videtur imperceptibile, quòd ad tam magnam distantiam odores ipsi perciperentur & transirent sicut percipiuntur à nonnullis bestiis & avibus, nam ut narrat Albertus 2. de an. c. 25. Vultures & Tyrides factâ strage in Græcia cadaverum odorem sensibile ad quingentas leucas. Confirmatur: Quia alix qualitates emittant suas species intentionales sine sui multiplicatione; ergò etiam odores sic emittere & diffundere possunt.

## IX.

Dices 1. Si odores deferrentur per species deberent sentiri ut distantes, sed odores nò sic percipiuntur. Respondeo negando minorè, quia revera toties quoties sentitur per species, sentiuntur ut distantes, licet fortè non ita perfecte sicut percipitur sonus, vel color ut distans.

## X.

Dices 2. Quando odores species transmittunt, illæ non deberent impediri à vento, sed odores semper impediuntur à ventis, nam experientia constat, quòd quotiescunq; foetores aliqui excitantur, quòd in eam propellantur partem, quò ventus vergit, ergò. Respondeo distinguendo minorè, si ventus auferat & pellat etiam qualitates odoriferas productivas specierum concedo minorè; si ventus non auferat, nec extra spheram activitatis propellat negotio minorè. Itaq; quando odores exhalant à corpore odorifero, illi exhalati tendunt secundum suam entitatem, quo possunt, si autem contrarium experiantur faciliè in aliam partem propelli possunt, & sic tunc nequeunt etiam tam procul producere species.

## QUÆSTIO VI.

De Gustu & Gustabili.

## I.

Gustus est potentia distincta à tactu.

Suppono tanquam certum Gustum esse potentiam distinctam à tactu, nam si verum est, quòd Aristoteles ait & docet potentias specificari per actus, actus per objecta, cum hi sensus habeant distincta objecta, habebunt distinctos actus, & consequenter inter se realiter distinctæ, quòd autem distincta objecta habeant inde patet, quia gustus habet qualitates secundas, tactus primas; tum quia habent organa distincta, & tandem quàm maximè, quia ablato gustu non tollitur, sed illæsus manet adhuc sensus tactus, quare si Aristoteles gustum quandoq; quandam tactum vocat, intelligendus est in sensu materiali, quasi diceret, ubi gustus est, ibi etiam est tactus, ex eo, quòd ille istum præsupponat, quòd quidem verum est, nam dum aqua, vel alia res quæcunq; omni sapore carens super organum gustus applicatur illa gustu percipi non poterit,

sed solum per tactum, quia tunc non erit aliud quòd gustabile. Hoc supposito

Circa Organum Gustus primò controversatur, in quoniam consistat, utpote cum in hoc non pauciora, quàm in aliis interveniant, nam imprimis in ore, ubi Gustus necessario refidet numerantur communiter dentes triginta duo, viginti molares ad cibum conterendum, octo incisores & quatuor canini. Deinde est lingua instrumentum vitiorum & virtutum per quòd & Deum benedicimus & maledicimus, quam moraliter simul & Physicè sic describit mellifluus Doctor Bernardus Serm. 17. de diversis de Triplici Cust. *Tenerum membrum Lingua est tamen vix teneri potest: Substantia quidem infirma atq; exigua, sed usu magnum & validum invenit. Modicum membrum est, sed nisi caveas magnum malum. Tenuis est & lata aptissimum sicut haec certum instrumentum, sicut multorum mibi veteri conscientias arbitror attestari &c.* Supra autem de lingua detractoris sic loquitur: *Nec veri humani linguam ipso etiam murtone, quo domum suam confossum est crudeliorem dicere veretur, sicut enim hæc quoq; Christi Corpus & membrum de membris, nec jam exanime fodit, sed facti exanime fletu.* Dicitis S. Bernardi addendum est linguam etiam esse spongiosam & raram, ut eo facilius humores imbibere possit, estq; contexta tunc perquam tenui, quæ etiam se per totum os extendit. Deinde habet novem musculos, quorum pars una ad dextram, altera ad sinistram dividitur per lineam rectam mediam; in parte inferna adhæret in faucibus sibi valido tanquam basi fundamentum, ubi etiâ sunt duæ carnosæ glandulæ quæ tonsillæ vocantur, & inferunt ad generandam salivam, Palatum verò est pars superior ad modum fornacis modicè concava. Et hæc

Dico 1. *organum gustu principaliter consistere in cuspide lingue, minus verò principaliter in palato & faucibus.* Hæc est D. Augustini Serm. 33. de verbis Domini, ubi ait: *Nihil enim gustabile sapit, nisi lingua & palato tangatur:* & D. Bernardi Serm. 28. in Cantic. Cantic. ubi sic ait. *Sapit in palato, in corde sapientia est.* Et

Probatur primò Experientia, quia quotiescunq; aliquid perfecte gustare volumus, tunc illud ad cuspidem lingue applicamus, ut patet in locis lambentibus ciborum condimenta, & vinariis vina probantibus, sicut è contrario quando aliquid gustare nolumus propter acrimoniam, aciditatem, vel aliam contrarietatem, tunc quàm citissime ad ossephagi deferre & trajicere laboramus, ut faciunt illi, qui in medicinis sumendis, vel pertæsi sunt, vel intactu.

Probatur secundò Ratione, Quia in cuspide Lingue est caro mollior, subtilior & ad percipiendos saporè aptior; ergò dicendum est quòd organum Gustus principalitè ibi refideat.

Probatur altera pars; tum quia videtur esse lingua ubiq; ejusdem rationis & naturæ, & palatum saporum recipiendorum & gustandorum aptum; tum experientia, quia cibi grati nò sapiunt nobis solum in cuspide lingue, sed etiam per totam, sicut etiam in palato, unde gulosus non nemo collum gruis sibi exoptavit, ut ciborum dulcedinem diutius sentire posset. Objectionem

**IV.** **Objectum Gustus,** seu Gustabile est rem & acerbiorem cibum, & requies gratior est post fatigationem & motum, quam fuerit ante, cum tamen in se melior non sit.

**Objectum est** Sapor, qui est: *Qualitas realis orta ex temperie primarum qualitarum prae dominante humido, in qua potissimum invenitur siccitas terrae, seu terrestris, calor & humiditas, quod autem interveniat siccitas terrestris, patet experientia in rebus sapidis reperta, quae siccae sunt saepe, debet autem illa siccitas esse terrae & non ignis, quia haec nimium tenuis est & subtilis, adeoque cito evanescit, & sic parum apta est ad efficiendum gustum; Calorem vero necessarium esse inde liquet, quod frigore sapor destruantur & definant, & quod in partibus Aquilonaribus fructus & alia saporifera sint minus amabilia & dulcia, quia deficit multum calor naturalis Solis concoquens humidum & siccum, quae se habent veluti materia. Quod tandem necessarium etiam sit humidum probat ratio, quod tunc maxime res sapiant, quando Gustus tonillis & saliva ab iis producta humectatur, quas ob hanc proinde causam natura potissimum ordinasse videtur: Humidum autem siccum praedominari debere à pari vel potius à contrario sic probat, in odore praedominatur siccum; ergò in sapore praedominatur humidum, cum objecta horum sensuum à contrario sint distincta.*

**V.** **Species saporis** Aristoteles enumerat octo, nempe Dulcem, Amarum, Pinguem, Salsum, Acrem, Acerbum, Acutum & Acidum; Dulcis reperitur in ficibus, melle, &c. Amarum in bili, oppio, absynthio, &c. Pingui in butyro, lacte, oleo; Salsum in sale & aqua marina: Acer in pipere & allio &c. Acerbum in fructibus immaturis, hic sapor alio nomine appellatur *Ponticus*, seu *Constringens* &c. Acidum in aceto & acerbis; Acutum in nasturtio, raphano, limonibus &c. Verum hoc notandum est, quod hac enumeratione non obstante adhuc plures saporum subdivisiones fieri possunt, nam ipse Plinius his addit quinque alias species, verum etiam magis restringi potest si fiat divisio per generaliora & principaliora membra, quae sunt dulce & amarum. Sapores autem ut probabilius deferuntur sine medio realiter & non per aliquas species intentionales. Sed

**VI.** **Quaeres primò:** Cur dulcia ut ficus, saccharum, &c. magnopere noceant dentibus? Dulcia dentibus obesse quaeque curiosiores mulieres, quae vel talibus abstinent, ut albedinem dentium conservent testantur & probant. Respondeo ergò hoc fieri ex eo, quod dulcedo sat pinguis sit, quae pinguedo facile dentibus adheret & sic putrescit, causatque illud nocumentum; Et forte ratio moralis esse potest, ne homines dulcibus abusi, & ad amara & dura ob id eiectioni tam facile dulcibus inhiant. Unde mellifluus Bernardus ait Serm. 16. de diu: Quamlibet voluptatem sanitati nocere, verba eius sunt: *Insuper enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis possit cavere, vel novem. Quod si voluptati servitur & non sanitati, haec jam de natura non est, sed sub natura, quae morti manum dat, cum magistrum consuevit voluptatem.*

**VII.** **Quaeres secundò:** Cur vina melius sapiant post manducationem casei, aut aliorum esculentorum acerbiorum? Respondeo id provenire, quia opposita juxta se posita magis clucescunt, sic apparet suavius vinum post duriorum.

*F. Amanadi Hermann Physica.*

rem & acerbiorem cibum, & requies gratior est post fatigationem & motum, quam fuerit ante, cum tamen in se melior non sit.

**Quaeres tertio:** Cur aliqui homines quandoque appetant res minus consuetae esui & de se horridas, ut Cretam, Carbones? Respondeo hoc provenire ex vitio phantasiae, quae vehementer commovet & immutat humores & hoc patet inde, quod audientibus nonnullis sermocinationes fieri de dulcibus saliva defluat in ore & intra dentes, hinc quia illi laborant tali phantasia, apprehendunt illa esse bona & suavia esse.

**Quaeres quarto:** An omnia animalia sint sensu Gustus praedita? Aristoteles negat, verum respondeo omnia animantia habere Gustatum, & probo, nullum est animal, quod non haberet tactum; ergò nullum animal est, quod non haberet Gustum: antecedens patet; probatur consequentia, quia Gustus est prior in animali, quam sit tactus, ergò: probatur antecedens, ille sensus inest prior, qui est ordinatus ad conservandum subjectum, cui inest, sed Gustus est ordinatus ad conservandum animal, ergò: probatur minor, quia tactus à natura non est provivus animali nisi propter solam defensionem & contrariorum repulsionem, sed contrariorum repulsio est posterior ad propriam conservationem, ergò.

**QUAESTIO VII.**

*De Tactu & Tangibili.*

**Sensus** hic in entitate sua quidem imperfectissimus est in examinatione tamen ejus, & declaratione vix non difficillimus, nam à tot annorum myriadibus, nec Grammatici, nec Philosophi reperti fuerunt, qui ejus objectum particulare nomine & praedicato baptizare voluerint, quotquot enim de tactu agunt, objectum dicunt esse tangibile, si tamen quaeratur quid sit esse tangibile, respondent esse, quod à tactu percipi potest, quod est rotundissimum committere circulum, ego hanc materiam brevitate solita enucleare & resolvere conabor. Pro quo

**Notandum est primò,** tactum multipliciter accipi posse, nam primò accipitur pro continuatione duorum corporum sic lapides duo sibi invicem superpositi dicuntur se tangere; secundò accipitur pro qualibet sensatione cujuslibet sensus ex eo, quod per tendentiam in objectum suum illud attingat: tertio ad propositum nostrum accipitur pro sensu externo aliquo ex quinque, qui sit perceptivus primarum qualitarum, nempe frigoris, caloris, humiditatis & siccitatis &c. De quo imprimis quaeritur in quonam organo resideat? secundò quasnam qualitates percipere possit? & tertio an unus sit sensus tactus, vel plures? quae omnia sequentibus expediã Conclusionibus. Pro prima autem parte multiplex est sententia, nam Aristoteles videtur solum cor possuisse sensorium & organum tactus, quem sequitur Themistius: Galenus autem D. Thomas, Scotus &c. sentiunt sensorium tactus esse nervum intra carnem latentem; Averroës denique ait esse carnem; sed quamvis Scotus dicat sensorium tactus esse nervum, nondum tamen demonstratum est, quod asseruerit esse solum nervum sicque explicari commodè potest,

**VIII.**  
*Homines aliqui insueti appetunt.*

**IX.**  
*Omnia animalia habent gustum.*

**I.**  
*Difficultas de Tactu.*

**II.**  
*Tactus multipliciter accipi potest.*